



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Quotidiana Christiani Militis Tessera

Stanyhurst, Guillaume

Coloniæ Agrippinæ, 1710

4. Dies Decemb. In his, quæ de Deo dicuntur; hæc maxima est scientia,
ignorantiam fateri.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45477

quærit. Omnia utilitatem sumunt ex fine ; si à fine declinant , sunt prorsus inutilia. Si ut te calefacias, malleum accipias ; non solum ad hoc erit inutilis, sed & tu ridiculus. Si sumas ignem ad lævigandam tabulam res præ omnibus utilissima, jam non erit utilis ; imò, non tantum inde nullum referes fructum, sed damnum : comburet, & destruet, quod volebas perficere. Omnium artium instrumenta, præter suum finem, ad quem sunt facta ; sunt vana, & supervacanea : sic homo, qui non refert sua omnia ad gloriam debitam soli Deo, est supervacaneus in mundo. A granis, quæ seminasti, expectas copiosam messem : à vite, quam plantasti, expectas uvas ; ab arbore, quam stercoreasti, expectas fructus ; cur inter tua, vis solus non esse utilis tibi ? Qui sperat Dei gloria, se, & sua jactat, veneno se lactat.

4. DIES DECEMB.

In his, quæ de Deo dicuntur ; hæc maxima est scientia, ignorantiam fateri. *S. Cyrillus Hierosolym. Catech. 6.*

Deus incomprehensibilis, & ideo amabilis.

I. **S**I nostram de Deo ignorantiam dum illam fatemur, si maxima de Deo scientia; quid nos cæcutientes super terram noctuæ, sub terrâ talpæ, volumus hebetem ingenioli nostri aciem convertere ad fulgorem æternæ Majestatis ; cujus intuitu perspicacissima illæ in cælis aquilæ perstringuntur, ut clausis oculis obnubere vultum compellantur ? Sed inaccessibleam Dei amplitudinem nemo aptius exponet, quàm Auctor hodiernæ tesserae : (a) *Magnus erat Abraham, sed magnus respectu hominum ; cum autem* ad

(a) *S. Cyrillus supra.*

ad Deum respexit, tunc ait : (a) Ego sum terra, & cinis ; estne quidquam cinere leuius , aut exilius ? Accipe, ait, cineris comparationem ad domum ; & domus ad civitatem ; & civitatis, ad Provinciam ; & Provincia, ad Imperium Romanorum ; & Imperii Romanorum, ad universam terram ; & omnes terminos rursus totius terræ, ac circumdans illam, calum : Cujus tanta est comparatio ad calum, quantum est punctum circuli ad totam conferentiam ; tanta est cali, ad terram comparatio. Et primum calum hoc, quod apparet, minus esse intelligas, quàm secundum ; & secundum, quàm tertium ; & cum animo calos omnes perspicis, neque tamen cæli celebrare Deum, ut est, poterunt, etsi tonitrua habeant sonantissima. Si ergo, tanta calorum magnitudo, Deum pro dignitate laudare non potest ; quomodo tandem cinis vilissimus, & minimus, dignas Deo laudes retribuere poterit ?

II. Vult Deus, ut in eo requiescas, non ut eum comprehendas. Benè illis est, qui requiescunt in Deo salutari suo, & optimè se habent cum Optimo ; & qui identidem clamant cum Davide : (b) *Quis dabit mihi pennas sicut columba ; & volabo, & requiescam ?* Non enim pedum motibus, sed cordis affectibus ; non rotis, sed votis ; non scalis, sed alis tenditur in illam requiem. Columba emissa ex Arcâ Noë, cum non invenisset, ubi requiesceret per ejus, reversa est ad eum in Arcam. Anima nostra, quæ per Creationem egressa est à Deo, nullam in deluvio aquarum multarum, quibus inundatur hic mundus, inveniens requiem, revertatur ad Deum suum, unde exivit. Ad hanc Augustinus suspirabat, cum hæc diceret : (c) *Quiescat in te, Deus meus, cor meum ; cor enim meum,*

P p p s

est

(a) S. Cyrillus supra (b) Psal. 54. (c) Medit. 6. 37.

est mare magnum, tumens fluctibus. Tu, qui imperasti ventis, & mari. & facta est tranquillitas magna: veni, & ingredere super fluctus cordis mei; ut tranquilla, & serena fiant omnia mea; quatenus te unicum bonum meum amplectar sine tumultuantium cogitationum ceca caligine. Et idem alibi: Inherete illi, qui fecit vos; stete cum eo, & stabitis; Requiescite in eo, & quieti eritis. Quid ita in aspera? quod ita? Quod vobis adhuc, & adhuc ambulare vias difficiles, & laboriosas? Non est requies, ubi queritis eum? querite, quod queritis? sed ibi non est, ubi queritis; frustra enim extra Deum queritur, quod in illo solo invenitur.

III. Ubinam suavius quiesces, quam in eo, qui est amabilium omnium amabilissimus? Quidquid enim, extra eum amabile est; ab eo habet, quod sit amabile, & propter ipsum dignum est amari? hinc sicuti est Centrum omnis amoris; sic debet esse & omnium amantium. Amor, illius est indolis, ut toto impetu in id feratur, quo expleatur: tale autem nihil est, nisi solum id, cui nihil deest, quod extra Deum nunquam est. Amans vinum, non satiaberis, quia multa ei desunt; quia non pascit esurgentem; non locupletat pauperem; non sanat infirmum; non operit nudum. Idem in aliis quibuscunque extra Deum reperies: singula multis scatent defectibus, ut indigna sint hominum affectibus. In Deo cum nihil deest, sufficit omnibus, & singulis, ut satientur: quia summè perfectum esse, est sibi, & omnibus summè bonum esse, quale quod est, summè amabile est: quod solus Deus est; qui quidem adeò bonus, ut solus esse non possit sine personarum consortio, nec solus esse velit sine societate creaturarum.

Cum

Cum igitur Deus tecum esse velit, quia amat te: debes, ut ejus respondeas amori, malle potius totâ æternitate carere omnibus bonis extra Deum; quam vel uno momento carere amore ejus, sive ad punctum temporis non amare eum: quia omne tuum bonum est amare eum, & amari ab eo. Modus porrò amandi eum, sit sine modo. Parùm proderit amasse, nisi pergas amare usque ad finem. Respondeat principio finis: ama semper, quem cœpisti amare à principio; quia, ut monet Poëta:

Principium lauda, quod consequitur bona cauda.

3. DIES DECEMB.

Cui esse, est semper, Deus est. *Ambrosius lib. 3. de fide cap. 7.*

Deus amandus, quia est noster Deus.

Quisquis timet semper esse miser, & ambit semper esse fœlix; illum, dum vivit, semper amet, cui esse est semper. De cujus continuo esse, eruditè D. Hilarius: (a) *Pater infinitus est; quia non ipse in aliquo, sed intra eum omnia; semper extra locum, quia non continetur in loco; semper ante ævum, quia tempus ab eo est. Currensensu, si quid ei puras ultimum esse; quia cum semper intendas, semper est, quò intendas. Iterùm revolve tempora, esse semper invenies; ut cum calculi numerus in sermone defecerit, Deus tamen semper esse non deficiet. Quis non amet eum, quem ubique, quia est in omni loco; & semper, quia est omni tempore, invenies amatum; imò & amantem, ne dicam*

infini-

(a) *L. 2. de Trinit.*